

marum habentia, super quibus nequit Episcopus dispensare, sine dispensatione Sedis Apostolicæ promoueri non potest. In margine autem notatur: In aliquot antiquis codicibus ita: *Vel Beneficia super quibus nequit, absque illis verbis: Curam animarum habentia.* Quæ lectio verior apparet; cum multa sint Beneficia, quæ curam animarum annexam non habent, super quibus Episcopus dispensare nequit, & consequenter in illis Pontificis dispensatio requiritur.

XVI. Supra ex sancto Thoma intelleximus, dispensatione quidem hanc irregularitatem tolli, addita hac cautione: *Et tantò est difficilior dispensatio, quanto origo est turpior.* Puta, si adulterini fuerint, vel ex stupro, incestu, aut sacrilego actu nati, difficilior erit dispensatio, quam si ex simplici fornicatione.

Id ipsum expressit non obscure Innocentius III. in *Cap. 10. De Renuntiatione*, ubi adducto loco Scripturæ *Exodi cap. 20. Ego sum Deus Zelotes, vindicans peccata Patrum in filios usque in tertiam & quartam generationem, in his qui oderunt me,* id est (ait) qui contra paternam odium imitantur. Subjicit deia hanc conclusionem cum subiecta moderatione: "Unde patet quod illis qui paterna vitia non sequuntur, propterea possunt in talibus suffragari virtutes, illo discretionis adhuc modo modum, ut inter *Nothos & Mamzeres, Naturales & Spurius* distinguatur.

Unde de Sylo Curie "qualitates spuriæ veniunt, in dispensatione exprimendæ, alioqui legitimatio, vel dispensatio nulla est," ait Rebuffus loco citato *num. 61.*

XVII. Adhæc, quia hæc dispensatio tamquam à jure exorbitans restringenda est, ut loquitur Pontifex in *Cap. 1. De Filiis Presbyterorum*. in 6. infertur ibidem, quod "ille cum quo per Sedem Apostolicam dispensatur, ut non obstante natalium defectu valeat ad Beneficium, etiam si curam animarum habeat, promovetur: nequeat prætextu hujusmodi dispensationis, nisi unicum Beneficium obtinere.

XVIII. Rursus in *Cap. 2. eod. in 6.* ex eodem fundamento declaratur, quod si cum aliquo à Sede Apostolica fuerit dispensatum, ut non obstante hac irregularitate possit ad omnes Ordines promovetur & Beneficium etiam cum cura animarum obtinere; si postmodum obtineat aliam dispensationem ut duo vel plura Beneficia similem curam habentia possit recipere, & ea simul retinere, nisi rursus hic defectus fuerit expressus, & super eo dispensatum, hæc secunda dispensatio nulla est & nullius momenti, velut per subreptionem obtenta; "cum non sit verisimile Sedem Apostolicam cum illo prædictum patiente defectum voluisse, si hoc fuisset expressum, eidem in pluralitate Beneficiorum hujusmodi dispensare.

XIX. Ex eodem principio rectè infert Rebuffus loco supra allegato *num. 47.* "quod si Papa simpliciter dispenset, ut Ordines tumere possit, intelligatur minoribus, non de majoribus.

Uterius *num. 48.* quod "dispensatus ad Ordines etiam Sacros, non censetur dispensatus, ut beneficium habeat. Dispensatus illegitimus simpliciter, ut possit habere Beneficium, non poterit habere Curatum (ait Rebuffus ibidem *num. 51.*) quia major idoneitas in illis requiritur: ideo oportet exprimere in dispensatione & præbendas & Canonicatus in Ecclesia Cathedrali.

Insuper "est exprimendum, quod etiam Dignitates habere possit, aliàs dispensatio non extenditur ad eas: imò etiam si expressum fuerit, quod Dignitates obtinere possit, adhuc non poterit obtinere Dignitates curatas: ideo hoc quoque exprimendum erit in dispensatione." Rebuffus ibidem *num. 52.*

XX. Si Beneficium sit situm in eadem Ecclesia in qua

Pater ministrat, vel n. ministravit, id necessariò exprimendum; eo quod difficilior dispensetur, ut illegitimus Beneficium habeat in eadem Ecclesia, in qua Pater ministrat, vel aliquando ministravit. Quare & id ob specialem inordinationem in variis Canonibus & Pontificis Decretis vetitam fuit. In *Cap. 15. De Filiis Presbyterorum*, scribit cuidam Innocentius III. "Filiis Canonice præbendas in eisdem Ecclesiis conferri non finatis, quarum sunt Canonici Patres eorum." Rationem notandam subjicit: "Cum indecorum sit, ut in Altaris officio illegitimus filius impudico patri ministrat, in quo Unigenitus Dei filius æterno Patri pro salute humani generis victimatur.

Et ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. refertur in *Cap. 16. eod.* "Ad abolendam pessimam (quæ in pluribus inolevit Ecclesiis) corruptelam firmiter inhibemus, ne Canonice filii, maxime spurii, Canonici fiant in secularibus Ecclesiis, in quibus instituti sunt Patres eorum.

XXI. Plura sunt in hanc rem Pontificis & Conciliorum Decreta, quæ innovans & in aliquibus amplians Synodus Tridentina *Sess. 25. cap. 15. De Reformat.* edicit: "Ut paternæ incontinentiæ memoria locis Deo consecratis, quos maxime puritas sanctitatisque docet, longè sibi arceatur; non liceat filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesiis, ubi eorum Patres Beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile, beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinerent, habere.

XXII. Hoc Decretum non tantum filios illegitimos Presbyterorum, sed generaliter Clericorum excludit à Beneficiis quibuscumque, etiam simplicibus, quæ Patres eorum habuerunt; quod & ante editum hoc Decretum edixerat Clemens VII. in Constitutione quæ incipit: *Ad Canonum Conditorum* 30. in Bulla R.

XXIII. Ad hæc, fat manifestum est, vi hujus Decreti, Filium illegitimum non posse admitti ad Beneficium in Ecclesia, in qua Pater habuit aliquod quodcumque, tamen etiam media persona intercesserit; id est, post Patrem tertius aliquis illud Beneficium possederit, & ita declarasse Sacram Congregationem Concilii Interpretum testatur Fagnanus ad *Cap. ad EXTIRPANDAS De Filiis Presbyterorum*. *num. 1.* idque expressè decreverat Clemens VII. in citata Constitutione cum derogatione Decretalis Alexandri III. in *Cap. 7. eod.* ubi filium illegitimum ad Beneficium Patris admittit, modo Patri defuncto media intercesserit persona, cui illud Beneficium fuisset collatum.

XXIV. Quin ex Decreto Concilii Tridentini non potest filius illegitimus quodcumque beneficium, etiam dissimile, obtinere in Ecclesia, in qua pater non tantum de presenti habet, sed vel unquam habuit qualecumque beneficium: quin nec Vicariam aut aliquod officium etiam manuale obtinere; eo quod veter non solum, ne filius n. unum quodcumque etiam dissimile beneficium obtinere queat; sed addit: *Nec in distis Ecclesiis quoquo modo ministrare.*

XXV. Itaque illegitimus, quantumvis generaliter ad quacumque beneficia etiam curata & majora dispensatus, nullum equidem beneficium, quod pater quocumque modo possidet, imò nec aliud, licet dissimile, & simplex in eadem Ecclesia habere vi istius dispensationis potest; sed specialis hic dispensatio exigitur.

XXVI. Dispensationem, ut filius illegitimus & patet in eadem Ecclesia simul beneficia possideant, non esse annuendam, fat insinuat Synodus dum verbis ante citatis subjicit: "Quod si in presenti pater & filius in eadem Ecclesia beneficia obtinere reperiantur; cogitatur filius

filium beneficium resignato, aut cum alio permutare extra Ecclesiam intra trium mensium spatium; aliàs ipso jure eo privatus existat, super iis quacumque dispensatio subreptitia censeatur.

XXVII. Alium modum purgandi sen tollendi hunc defectum natalium, saltem quoad Ordines recipiendos, expressit jam pridem Canon Synodi Pictaviensis relatus in *cap. 1. De Filiis Presbyterorum*. qui postquam declaravit, filios Presbyterorum ceterosque ex fornicatione natos ad sacros Ordines non promovendos, subnectit hanc exceptionem: *Nisi aut Monachi fiant, aut in Congregatione Canonice regulariter viventes*; vel ut alia lectio habet, *vivant.*

Eandem exceptionem fecit in suo Decreto Urbanus II. relato apud Gratian. *Dist. 56. Can. 1.* illiusque meminit S. Ivo in præfatione ad suum Decretum, rationem illius indicans, verbis supra relatis hæc subjiciens: "Sed quia ex iis qualdam perfonas, non tantum religiosas, sed etiam Ecclesiæ Dei necessarias esse cognoverunt, Decretum suum temperaverunt: & ita genitos quorum conversatio in Monasteriis vel religiosis Ecclesiis probata fuerit; non solum ad Presbyteratum, sed etiam ad summum Sacerdotium promoveri permiserunt.

XXVIII. Ratio ergo hujus exceptionis ex mente Ivonis erat, quod suspicio incontinentiæ ex paterna continentia profuens, per professionem & conversationem religiosam ablata videatur.

Adhæc quia professio Religiosa reddit professum incapacem Beneficii secularis, periculum non erat, ne per admissionem filiorum illegitimos Beneficia fierent hæreditaria; quod præcipue huic irregularitati inducendæ occasionem dedit.

XXIX. Quidquid sit, certum est juxta modernam disciplinam, per professionem Religiosam tolli hanc irregularitatem saltem quo ad sacros Ordines; neque illegitimos sic professos indigere ulla dispensatione, ut possint sacros ordines, etiam Presbyteratum suscipere; non tamen sufficere Novitatum, sed requiri emillam professionem; eo quod hæc tantum constituat Regularem sive Religiosam, ut notat Fagnanus ad *Cap. ut filii De Filiis Presbyterorum*. *n. 13.*

XXX. Tamen ipsa Religiosa professio illegitimos reddat capaces ad suscipiendos sacros Ordines, nequaquam tamen ipsam tollit irregularitatem; quasi ipsum Professum totaliter & per omnia legitimet; sed tantum effectum ipsius irregularitatis quoad exclusionem à Sacris Ordinibus suspendit; manente alio irregularitatis effectu in suo vigore, in quantum ipsos Professos adhuc excludit à Prælatibus, ut dicitur in citato Canone Synodi Pictaviensis relato in *Cap. 1. eod.* in verbis: *Prælationes verò nullatenus habeant.*

Ex quo eliciunt Canonistæ, Professionem non habitare illegitimum ad Prælationes obtinendas: idque indidinetive sive in eisdem, sive in aliis Monasteriis, sive in Ecclesia seculari sive regulari, uti post alios notat Fagnanus loco citato *n. 19.*

XXXI. Monet quoque ibidem Fagnanus *num. 22.* quod cum illegitimus Regularibus & Prælatibus & Dignitates solus Papa dispenset: "et ita sacra Pœnitentia (ait) dispensat in utroque foro cum Regulari ad quacumque Dignitates & officia suæ Religionis, quamvis consueverunt apponere clausulam, non tamen ad generalatum.

XXXII. Efficacissimus tandem modus purgandi defectum natalium est subiequens parentum matrimonium. De quo in *Cap. TANTA Qui filii sint legitimi*, ubi Exoniensis Episcopo rescribit Alexander III. "Tanta est vis Matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum Matrimonium legitimi habeantur.

Neque refert, an medium Matrimonium intercesserit; hoc est si parens post susceptum filium illegitimum

Van Espen *Inr. Eccl. P. II.*

inierit matrimonium cum tertia, qua mortua deum contrahit cum illa à qua suscepit filium illegitimum, hic filius legitimus efficitur: & quidem ita legitimitur, ut ab initio natiuitatis legitimus fuisse fingatur; sive juris fictione habeatur, uti uno consensu tradunt Canonistæ.

Per hanc legitimationem ipse natalium defectus quasi in radice tollitur, ideoque legitimatus pro legitime nato reputatur ob subsecutum Matrimonium; habeturque capax non tantum ad Ordines & beneficia minora, sed etiam ad majora & Prælaturas.

XXXIII. Non tamen hæc legitimitatio procedit quoad natos ex adulterio aut incestu; & generaliter quoad natos ex parentibus inter quos tempore copulæ erat impedimentum dirimens; uti communiter docent Canonistæ moti verbis citati Capituli *Tanta*: "Si autem vir vivente uxore suâ aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius.

CAPUT IV.


De Irregularitate ex defectu lenitatis.

1. Ecclesia vult suos Ministros à sanguinis effusione esse alienos: & quare?
2. Olim Episcopi pro damnatis ad mortem intercedebant, & ad quid ea intercessio tenderet.
3. Mansuetudinem Sacerdotibus convenire etiam Gentiles viderunt.
4. Judicium sanguinis exercere indignum est Sacerdotibus.
5. Variis Canonibus vetitum Clericis sententiam sanguinis proferre, aut ad eam concurrere.
6. Neque id possunt ut Delegati Principis.
7. Clerici Officium cui judicium sanguinis annexum est, habere non possunt.
8. An Prælati jurisdictionem temporalem habentes possint per suos Officiarios judicium sanguinis exercere.
9. An Episcopus Clericum degradatum tradens Brachio seculari efficiatur irregularis.
10. Olim efficaciter intercedere debebat, ne morte afficeretur; & quomodo hæc efficacia intelligeretur.
11. Quid hodie obtineat?
12. Petium Clericis adesse ubi vindicta sanguinis exercetur.
13. Clericus si præfens aliquo modo in sanguinis judicium insinat irregularis efficitur.
14. An Notarii, Grapharii & similes in causa sanguinis sint irregulares?
15. Quid de Advocatis & Assessoribus?
16. An testes fiant irregulares?
17. Quomodo indirectè & remotè ad judicium sanguinis concurrentes non fiant irregulares.
18. An accusantes de crimine capitali fiant irregulares si mors sequatur?
19. Qua requirantur ut Clericus hic evadat irregularitatem; & an semper necessaria aliqua prætestatio.
20. An exterior prætestatio semper sufficiat?
21. Hodie prætestatio Episcopi est tantum ceremonialis.
22. Quaratione prosequens injuriam propriam in causa criminali evadat irregularitatem.
23. An accusans evadat irregularitatem si persequatur injuriam alteri illatam.
24. Etiam Laici hanc irregularitatem incurrunt.
25. Irregularitas non incurritur nisi mors aut mutilatio ipsa sequuta sit.

26. *Testes à judice compulsi hodie in Gallia irregulares non sunt.*

27. *Neque etiam Graphiarii.*

28. *Super hac irregularitate solus Pontifex dispensat; & quæ dispensationis formula?*

I.  Imper Ecclesia suis ministris commendavit animi mansuetudinem ad exemplum Christi, qui hanc præ cæteris, ut à se disceret, Discipulis dicens. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde;*

Unde inter qualitates quas in Episcopis & Diaconis requirit Apostolus hæc una est, *Non percussorem.*

Cum autem mansuetudini specialiter ac directè contrarietur sanguinis humani effusio; ideo ab hac Sacerdotes omnino alienos esse desideravit Ecclesia, imitans in hoc Magistrum suum Christum, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat.

II. Hinc olim Episcopi unicè solliciti erant, ut quos ob sua scelera reos mortis scirent, à morte vindicarent; eosque per pœnitentiæ labores ad Christum reducerent, vitamque non tantum temporalem, sed & æternam procurarent, quod evincunt crebræ illæ Episcoporum apud sæculi Judices pro reis intercessionibus; de quibus variis locis agit S. Augustinus, ac signanter *Epistola 153*; ad Macedonium, ibidem unà ostendens, Ecclesiam non querere impunitatem criminis, sed correctionem criminosis, "deliderans hanc vitam temporalem, non ut temporaliter vivat, sed ut spiritualiter per pœnitentiam resurgat. Morum porro corrigendorum, ait, nullus alius quam in hac vita locus est: Nam post hanc vitam quisque id habeat quod in hac conquirit. Ideò compellimur humani generis charitate intervenire pro reis, ne istam vitam sic finiant per supplicium, ut ea finita non possint finire supplicium.

III. Quin & ipsi Gentiles subinde viderunt, quam hæc mansuetudo Sacerdotibus conveniret, quæ eos non ad occidendum peccatores, sed ad convertendum incitaret.

Suetonius refert, Titum Imperatorem acceptasse summum Sacerdotium, ut hoc pacto *nullus mori* subscribere cogeret, fideliter illum hoc propositum servasse, & malle se mori professum fuisse, quam ab eo recedere, "Pontificatum maximum ideo se professus accipere, ut *puras* servaret *manus*, præstitit fidem; nec author post hæc cujusquam necis, nec conscius, quamvis interdum, ulciscendi causa non deesset: sed periturum se potius, quam perditurum adjudicans.

IV. Itaque judicium sanguinis exercere, sententiamque mortis in aliquem proferre, indignum Sacerdotio judicavit Ecclesia: "Quomodo enim Ecclesia judicare debet, fundendum sanguinem alienum, quæ à primo ortu suo iusta est fundere sanguinem proprium?" ait Ivo Carnotensis *Epist. 246*.

V. In Concilio Toletano VI. *Can. 31*. legitur: "Sæpe Principes contra quoslibet majestatis obnoxios Sacerdotibus negotia sua committunt. Quia verò à Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant, Regibus fieri judices, ubi iurejurando supplicii indulgentia promittitur, non ubi discriminis sententia preparatur. Si quis ergo Sacerdotum contra hoc commune consultum discussor in alienis periculis extiterit, reus effusi sanguinis apud Christum, & apud Ecclesiam, perdat proprium gradum. Apud Gratianum *caus. 23. quæst. 8. Can. 29*. & deinde ex Concilio Tolet. XI. refertur Canone sequenti: "His à quibus Domini Sacramenta tractanda sunt, judicium sanguinis agitare non licet. Et ideo magnopere talibus excessibus prohibendum est: ne in discretæ præsumptionis motibus agitati, aut quod morte plectendum est, sen-

tentia propria judicare præsumant aut truncationes, quibuslibet personis inferant per se, aut inferendas præcipiant. Quod si quisquam immemor horum præceptorum aut in Ecclesiæ suæ familiis, aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit, concessi ordinis honore privetur, & loco: sub perpetuo quoque damnationis teneatur ergastulo religatus. Cui tamen communitio ex hac vita exeunti non est neganda propter Domini misericordiam; qui non vult peccatoris mortem, sed ut convertatur, & vivat.

Hujus Canonis meminit Alexander III. in *Cap. 5. De Clericis vel Monachi secularibus negotiis se immisceant*, scribens Archiepiscopo Cantuariensi. "Clericis in sacris Ordinibus constitutis, ex Concilio Toletano judicium sanguinis agitare non licet. Unde prohibemus, ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut iudicent inferendas. Quod si quis tale quid fecerit, honore privetur & loco.

Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *Cap. 9. eod. ait*: "Sententiam sanguinis nullus Clericus dicat aut proferat; sed nec sanguinis vindictam exercet, aut ubi exercetur interfit.

Hinc primò statuit, quod Clericis vetitum sit, iudices esse in causa sanguinis, aut sanguinis vindictam exercere, quodque ex eo iudicio irregulares fiant.

VI. Neque ab irregularitate exemptus erit, si iudicium hujusmodi exercuerit in qualitate Delegati Principis, ut colligitur ex *Cap. 4. De Raptoribus*; ubi Archiepiscopo Panormitano respondit Alexander III. quod si Rex Sicilia quosdam Saracenos malefactores ipsi alisque Episcopis puniendos commiserit, "possit eos pecuniaria pœna mulctare & etiam flagellis afficere, ea, ait, moderatione adhibita quod flagella in *vindictam* sanguinis transire minime videantur. Si verò ita gravis fuerit excessus, quod mortem vel detractionem membrorum debeant sustinere, vindictam reserves Regiæ potestati.

VII. Quapropter in citato *Cap. 5*. vetatur "sub interminatione anathematis ne quis Sacerdos habeat officium Vicecomitis aut præpositi secularis.

Synodus Oxoniensis anno 1222. *Can. 7*. renovans Decretum Concilii Lateranensis addit: "Clerici Beneficiati aut in Sacris Ordinibus constituti non sunt seneschalli, aut Ballivi talium administrationum, nec iurisdictiones exerceant seculares, præsertim illas quibus *iudicium sanguinis* est annexum.

Ex quo nunc obscurum est, hujusmodi officia præcipuè Clericis vetita fuisse ob *iudicium sanguinis* annexum.

VIII. Hinc aliquando dubitatum fuit, num Episcopi & Abbates, quibus fas non est, ne quidem ut Delegati aut Commissarii Principis iudicium sanguinis exercere, quin nec administrationes, aut officia, quibus tale iudicium annexum est, habere aut exercere possunt, si tamen ipsi iurisdictionem temporalem habeant, possint suis Ballivis causas criminales committere. Dubium tandem resolvit Bonifacius VIII. in *Cap. fin. Ne Clerici vel Monachi secularibus negotiis se immisceant in 6*. "Episcopus seu quicumque alius Prælati, vel Clericus, iurisdictionem obtinens temporalem: si homicidio, aut alio maleficio ab aliquibus in iurisdictione sua commisso, Ballivo suo, aut alii cuicumque injungat, ut super hoc veritatem inquirens, iustitiæ debitum exequatur, *irregularis* censeri non debet: quamvis ille Ballivus vel alius contra malefactores ad pœnam sanguinis processerit iustitia mediante." Rationem subdit: "Nam licet Clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen (cum iurisdictionem obtinent temporalem) debent & possunt, metu irregularitatis cessante aliis delegare.

Hodie Episcopi aliique Prælati non solent aliquam in particulari

particulari causam suis Ballivis aut Officiis delegare, sed simpliciter constituunt Ballivos, eosque perpetuos, qui iure sui officii iurisdictionem præsertim *criminales*, sine ulla ipsius constituentis interventione, exercent: unde hic minor est metus incurrendæ irregularitatis.

IX. Major difficultas apparet, quando Episcopus Clericum degradatum tradit Curie seu Brachio seculari, quem scit sic traditum morte afficiendum. Videtur enim Episcopus hoc in casu propinquius ac magis directè in sanguinis effusionem influere; & ad sanguinis iudicium concurrere.

Innocentius III. in *Cap. 17. De P. S.* scribens Episcopo Parisiensi, resolvit, Clericum convictum de crimine falsi per Episcopum posse Curie seculari tradendum, addita hac cautione: "Pro quo tamen debet Ecclesia efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum circa eum sententia moderetur.

X. Hæc intercessio *efficax* nequaquam erit, nisi re ipsa sic degradatus Clericus, & curie seculari traditus, mortis periculum evadat.

Sed quia frequenter similis intercessio, eam efficaciam non habet, similis traditio ab Episcopo faciendâ difficultate carere non videbatur; unde & ipse Innocentius fatetur, quòd ejus prædecessores super hoc consulti non idem omnes se senserint: *Cum quidem Antecessorum nostrorum super hoc consulti diversa responderint.*

Sane jam pridem Episcopi ipsos criminosos quadam Christiana violentia à manibus iudicum & executorum rapiabant, ut eis vitam corporalem, & pœnitendi tempus procurarent; nec unquam eos qui ad Ecclesiam confugerant, aut ejus auctoritati suberant, laicæ potestati tradebant, nisi facta cautione, quòd eos mortis supplicio non afficerent.

Quare & ipse Innocentius in citata Decretali, post relata verba subjungit: "Pro illo *falsario* scelerato, quem ad mandatum nostrum capi fecisti, hoc tibi duximus consulendum, ut in perpetuum carcerem ad agendam pœnitentiam ipsum includas.

XI. Hodie Episcopi Clericos degradatos pro enormi crimine tradunt Curie seculari, tamen mortis sententiam in eos esse prolatam, & mox à facta degradatione eos morte plectendos certo sciunt; idque citra metum irregularitatis, modo exterius *intercedant*, quamvis noverint, intercessionem planè inefficacem futuram; idque auctoritate Decretali Bonifacii VIII. in *Cap. 2. De Homicidio in 6*. (de qua infra) receptum videtur.

XII. Concilium Lateranense non tantum declarat, vetitum esse Clerico, sententiam sanguinis proferre, dicere, aut sanguinis vindictam exercere, sed in super, *ubi exerceatur*, interesse.

Verum ut notant post Glossam Canonistæ, si Clericus in loco, ubi vindicta sanguinis exercetur, tamen *merus* spectator ex curiositate forsitan interfit, nullatenus ad vindictam sanguinis concurrens, propterea irregularis non efficitur. Verba Glossæ sunt: "Sed si *interest* tantum numquid propter hoc efficitur irregularis, ut propter hoc deponatur; Non videtur quòd debeat deponi; sed aliàs debet puniri, quia interfuit contra præceptum.

Hæc opinio communi hodie disciplinæ consona est. Meliores enim magis que regulæ Clerici existimant quidem, si non omnino illicitum, saltem minus statui suo esse conveniens, hujusmodi spectaculis interesse; ac interefferentes sola hac præsentia fieri irregulares nemo credit.

XIII. At si interessendo Clericus in ipsam sanguinis vindictam sive sententiam aliquo modo influat, aut ad eam concurrat, faciliè hinc irregularitatem contrahet, atque ita respondet Innocentius III. Episcopum Albi-

ganensem irregularitatem incurrisse, quia in iudicio sanguinis non tantum præsentiam corporalem, sed & auctoritatem præstiterat. *Cap. 10. De Excessibus Prælati.*

Idcirco moderna praxis habet, ut si in Parlamento Regis causa criminalis agitur, ipsi Consilarii Ecclesiastici se subtrahant; ne forsitan sua præsentia in ipsam sanguinis sententiam influere videantur.

XIV. Ulterius Concilium Lateranense addit: "Nec quisquam Clericus litteras scribat aut dicat, pro vindicta sanguinis destinandas. Unde in Curia Principum hæc sollicitudo non Clericis, sed Laicis committatur.

Ex his verbis Concilii concludunt Canonistæ, Notarios, Graphiarios, Actuarios aliosque similes in causa sanguinis fieri irregulares; eò quod ad ipsam sanguinis sententiam ejusve executionem concurrant.

XV. Advocatos quoque & Assessores in causa sanguinis, si contra reum postulent, vel consulant, simili ratione incurrere irregularitatem communi calculo docent; atque jam pridem declaravit Concilium Londinense celebratum à Cardinale Orthono Bono Sedis Apostolicæ Legato anno 1268. *Can. 6*. declaratque, officium *Advocationis* aut *Assessoris* in causa sanguinis exercentes, ipso facto ab officio suspensos, aliisque pœnis castigandos.

XVI. Porro quia testes ad condemnationem criminis proximè videntur concurrere, in causa criminali contra reum testimonium ferre citra irregularitatis periculum non posse expeditum est; imò plures credunt, Clericum non evadere irregularitatem, si testimonium tulerit in causa *directè* tendente ad mortem sive membrorum mutilationem; tamen illud non dixerit nisi reluctans & à Judice compulsus; præceptum enim iudicis, & metus etiam cadens in constantem virum, sunt actus [inquinant] accidentales & extrinseci, qui non considerantur, sed ipse concursus tantum, qui hic *directè* & per se tendit ad deformationem.

XVII. At si non directè in causa sanguinis testatus, sed tantum remotè exinde per occasionem ad sententiam sanguinis deventum sit; aut aliqua criminis indicia, sed remota, & non directè ad accusationem tendentia dederit, non propterea censetur irregularis; tamen ex illis indicibus crimen detectum fuerit, & sententia sanguinis sequuta; quemadmodum in simili casu resolvitur in *Cap. TUA NOS §. AD ULTIMUM. De Homicidio*

Eodem fundamento respondit Innocentius III. cuidam Episcopo, quòd contra quosdam laicos contumaciter recusantes solvere decimas, implorare possit Regiam potestatem, "tamen si ad solutionem ipsarum vix absque *sanguinis effusione* valeant coactari. Quia (inquit) si te hujusmodi querimoniam simpliciter deponente, Rex ea eosdem rebelles traditam sibi exerceret potestatem, eorum erit duritiæ aut malitiæ imputandum." *Cap. 21. De Homicidio.*

Similiter qui hortatur & monet Magistratus, ut in malefactores pro officii sui debito invigilent, atque pro merito in illos advertant, non propterea irregularis fit, licet occasione istius exhortationis seu monitionis aliqui essent morte affecti, aliàs non afficiendi, quia hic concursus nimium *remotus* est, quam ut ratione illius auctor in mortem hanc concurrere censetur.

XVIII. Major sanè difficultas est, si quis aliquem coram Magistratu de gravi injuria & delicto accuset, atque reparationem injuriæ postulet, hæcque occasione accusatus morte afficiatur; cum propinquius multò, quam in priore casu ad hanc sanguinis sententiam concurrat, ipsamque iudicem excitet & promoveat.

De hoc casu agit Pontifex in *Cap. 2. De Homicidio in VI*. dicens: "Prælati vel Clerici quibuscumque, qui